

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XXIII. De resurrectione mortuorum

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

ut nec viri illi pepercerunt, d.l. Ezech.v.f. quia senes
juxta juvenes que interfecit, d.l. v.6.

3. Signo autem notatos non tangebatur percussor:
Pii sunt illi signo notati, crucis nimirum & meriti
Christi, sicut & angelus ille cædis in Ægypto eorum
præteribat ædes, quorum postes sanguine Paschalis
victimæ tincti erant.

MORS NON EST à DEO.

1631. *Bonum semen seminaverat paterfamilias;
dormientibus hominibus, inimicus lolium interpolave-
rat, Matth.13. Bonum semen quoque fuit immorta-
litas illa in statu integritatis concessa: sed dormivit
Adam iustus à stygio scorpione, qui interim mortis suæ
virus incautis hominibus instillavit, Sap.2.v.24. Chri-
stus verò sanavit. Quâ fide nixi dicere possumus:*

Angar ab angue licet, tamen agni sanguine vivo,

Astra petog, nihil languidus anguis obest.



CAPUT XXIII.

DE

RESURRECTIONE
MORTUORUM.

RESURRECTIO.

1632. Sicut hirundines per hyemem jacent mor-
tue: Æstate calore solis reviviscunt: ita homines
per sepulturæ hyemem jacebunt mortui, quos sol ju-
stitiæ Christus faciet reviviscere, æstate diei ultimæ.

Bbb 2

Aps,

Apes, formicæ, muscæ per hyemem mortuæ sunt: At ineunte vere reviviscunt: ita mortui in extremo iudicio. De hirundinibus D. Luther. in cap. 1. Gen. p. 15.

RESURRECTIO.

1633. Ut *Phoenix* ex propriis cineribus reviviscit: ita pii suo tempore. Avis hujus mentio frequens & celebris apud Veteres. Cyprianus in expositione symboli: Laetant. in peculiari de eadem carmine. Nazianz. in Carm. Ambros. Psal. 118. Tertull. de resurrectione. Videri potest tractatus eruditus D. Johannis Gryphiandri, excusus Jenæ Anno 1616. de Phœnice.

RESURRECTIO NOSTRI.

1634. Num. 17. 8. *Fructus tulit virga Aaronis per noctem posita coram Domino, in tabernaculo testimonii*: Tales virgæ florentes corpora nostra erunt in resurrectione, quæ revirescent excitata, cum per noctem mortis velut arefacta jacuerint, Esa. 26. v. 19. Ezech. 37. v. 4. 1. Cor. 15. v. 36.

RESUSCITATIO NOSTRI.

1635. Gen. 50. v. 25. *Jacobi Josephiq, ossa ex Ægypto in terram Canaan transportata sunt.* Exod. 13. vers. 19. Salvator nos resuscitans, Joh. 5. ossa nostra transportabit ex Ægypto mundi hujus in cœlestem patriam, quando eâ cute rursus induet, Job. 19. Spiritum reddet, Ezech. 36, 7. quia ipsius ossa quoque sunt, Eph. 5. vers. 30. quia custodivit ea, Psal. 34. v. 21. ibi ossa nostra exultabunt, Psal. 51. v. 10. Psal. 35. v. 20. grates dicent.

RESURRECTIO.

1636. *Spica non nisi arefacta metitur, trituratur, in horreum colligitur.* Ita spicæ Dei sunt pii, qui arefunt in sepulchro, cum peccati radix planè emoritur, dein de

de per angelos. Matth. 13. v. 40. trituran-
tur, cum à pa-
leis, Pfal. 1. discernuntur, Matth. 25. & in horreum bea-
titudinis colliguntur, Matth. 3. v. 12. cap. 13. v. 30. Luc. 3.
v. 17. Spica rore maturatur: ita corpora sanctorum
divinæ omnipotentix rore reviviscent, Esa. 26, 19.

Triticum in terram cadat necessum est, emoriatur-
que si fructum ferre debet, Joh. 12. v. 24. Ita pii, ut
triticum Domini, Matth. 3. v. 12. in terram cadunt, è
quâ formati, Genes. 3. Sirach. 40. Moriuntur, ut fru-
ctum ferant divinæ beatitudinis, I. Cor. 15. v. 37.

RESURRECTIONIS

subjectum.

1637. *Thesaurum nostrum in vasis fictilibus gerimus,*
2. Cor. 4. v. 7. Vasa fictilia corpora nostra sunt, quæ
frangenda sunt primò per mortem, si thesauro vero
in caelis frui voluerimus. Quamdiu vas illud non fran-
gitur, thesaurus manet absconditus, I. Joh. 3. v. 2. vita
abscondita, Col. 3. v. 3.

RESURRECTIO MORTUORUM

creditur difficillima.

1638. Ezech. 47. *aquas vidit, quas tranare non po-
tuit:* Mysterium resurrectionis est ejusmodi aqua,
quam nullius intellectus tranare potest. Ipsi Philoso-
phi Sadducæi hujus profunditate absorbentur, Act. 17.
23. v. 8.

RESURRECTIO MORTUORUM

& gloriæ æternæ difficilis
creditur.

1639. *Jacob non credidit filium vivere Josephum,*
Genes. 45. Imago est humanæ imbecillitatis, quæ in
contemplatione futuræ gloriæ, si non planè dubia est,
vel saltem vacillat, cum in cor hominis non venerit

Bbb 3 ea

ea gloria, quam Dominus cultoribus suis præparavit,
Esa. 64. v. 4. I. Cor. 2. v. 9.

RESURGENTIUM HONOR

ad vitam.

1640. *Panes propositionis Deo afferi præscripsit Moses, Lev. 24. v. 5.* Sancti resurgentes erunt veri panes propositionis, terræ matri concrediti, qui suo tempore, postquam in terram projecti fuerint, fructum ferent, Joh. 12. v. 24. ut in mensa, hoc est Christo, Deo patri apponantur, cum regnum patri offerret Christus, I. Cor. 15. v. 24.

RESURGENTES FACILE

discernet Deus.

1641. *Agricola singularum specierum aristas dignoscit.* Rerum metallicarum periti diversas auri argenti venas. Patres familias diversa utensilia, quo quaque loco recondita. Aurifaber metalla igni liquefacta: ita Deus resurgentes. Triturator frumentum à paleis facile discernit: impios paleas à tritico piorum facile discriminabit, Matth. 3. v. 12.

CAUSA EFFICIENS RESURRE-
CTIONIS: Christus.

1642. Leo rugitu suos excitat catulos: Christus est leo de tribu Juda, Apoc. 5. vers. 5, rugitu vocis suæ, Joh. 5. excitabit mortuos.

Christo mortuò sepulchra aperta sunt, egressiq; mortui, resurgente eodem, Matth. 27. v. 52. Ita per mortem Christi ejusque sepulturam nostra sepulchra aperta: per resurrectionem ejusdem nobis vita restituta est.

RESURRECTIONIS NOSTRÆ

certitudo per baptismum.

1643. Col. 2. v. 12. *Consepulti cum Christo per baptismum,*

DE RESURRECTIONE. 759

pissimum. Ut ergò Christus per baptismum sepultus velut descendit ex aquis Jordanis, Matth. 3, 16. Ita rursum ex sepulchris nostris ascendemus, resurgemus, ad eò, ut baptismus noster non tantùm animæ resurrectionem à peccato: Verum etiam corporis è pulvere terræ innuat.

PII LIGNA REVIRESCENTIA.

1644. Job. 14. v. 7. *Lignum habet spem, si præcisura fuerit, rursus virescit, & rami ejus pullulans.* Quilibet pius tale lignum est, quod securi mortis præciditur quidem; sed quia ligno vitæ Christo insitum est, revirescit denuò, & rami ejus pullulant tanquam plantæ ad gloriam Dei positæ, Esa. 60. v. 21. Hoc lignum certam habet spem: hoc est, pius certò sperat & credit carnis suæ resurrectionem. Job. 19. v. 27. *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Conf. 1. Cor. 15. v. 19.

CERTITUDO RESURRECTIONIS.

1645. Job. 17. vers. 12. *Post tenebras spero lucem,* Mors in veras inducit tenebras, in veras umbras. Conf. Job. 10. 22. à tenebrarum principe introductas, Rom. 5. v. 12. Sap. 2, 24. Post has tamen tenebras lucem sperant pii, lucem æterni solatii gaudii, quæ ipsi in altera vita obtinget, Christo verâ luce oriente plenis radiis & directis, qui in hac vitæ hyeme à nobis declinaverat, obliquos solum per verbi speculum sparserat. 1. Cor. 13. v. 12. Conf. Esa. 60. v. 19. Apoc. 21. v. 23. cap. 22. v. 5. Hæc lux multò illustrior erit illâ Judæorum, Esth. 8. v. 16.

CHRISTO ORIENTE resurgemus.

1646. Psal. 104. v. 22. 23. *Ortus est sol & congrega-*
Bbb 4 ei

*ut sunt caruli leonum, inq̄ suis collocati cubilibus: Exi-
bit homo ad opus suum.* Ad litteram, de illa dierum no-
ctiumque vicissitudine: Allegoricè, in die resurre-
ctionis orietur nobis sol Christus, Esa. 60. v. 19. pleno
jubare. Catuli leonum impii sunt, Diaboli sunt, qui
hujus vitæ tempore, nihil, nisi animarum nostrarum
prædas & latrocinia meditati sunt: Hi verò in cubili-
bus, in inferno scilicet, collocabuntur, ut mors depas-
cat eos, Psal. 49. v. 15. Apoc. 20. v. 13. Pii verò exhibent
è dormitoriis suis, Esa. 26. v. 20. ad optatissimos gra-
tiarum hymnorumque labores, exantlandos cum an-
gelis, Esa. 6. v. 3. Apoc. 4. v. 8.

IN RESURRECTIONE CORPORUM nostrorum reformatio.

1647. *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ,
configuratum corpori claritatis suæ*, Phil. 3. v. 21. Cor-
pus humilitatis nostræ & fragilitatis reformabit Chri-
stus, ut artifex ex cineribus arborum vel herbarum
purum vitrum facit, imò fractum vitrum liquefacit &
reformat. Corpora nostra cineres sunt, quæ ex ar-
bore *Adamo* parvi trunci, ex his cineribus vitrum
limpidissimum facit Christus, cum suo corpori nostra
configurat: Vitrum scilicet ratione limpiditudo, non
fragilitatis, quæ in resurrectione deponetur.

IN RESURRECTIONE MORTUO- rum, ros Dei qualis.

1648. Esa. 26, 19. *Ros viridis, ros tuus: terram mor-
tuorum in ruinam detrahes.*

I. Homines ergò sepulti in terra semen sunt pu-
tre, cujus respectu verbum Dei omnipotens, quò re-
suscitabimur, ros viridis dicitur, vel terræ virentis.
Quemadmodum ros è corrupto semine producit
herbam.

herbam: ita corpora hominum femina corrupta: verbo omnipotente Domini, ut herbæ virentes excitantur.

2. Dulcedinem efficere ros dicitur in herbis: in herbis Dei, virentibus illis palmis, Psal. 92. vers. 13. 15. Verbum illud omnipotentis excitans, omnis veræ dulcedinis fons erit, absterfis scilicet omnibus vitæ hujus amaritudinibus, Apoc. 21. 4. cap. 7. v. 17.

3. Testis Plin. lib. 21. cap. 17. nocturnos rores palustribus defectis nocere. Impii palustres sunt, in hujus mundi palude luxuriantes: dissecti morte tanquam falce. Verbum Domini excitans homines illis erit ros nocturnus, in nocte peccatorum jacentibus, Luc. 12. v. 20. Luc. 17. v. 34. 1. Thess. 5. v. 7. Hanc sequitur illa nox, quâ nemo potest operari, Joh. 9. v. 4. quâ nox pro visione erit, Mich. 3. v. 6. Conf. Luc. 16. 28. Ros ille maximè nocebit impiis, quia lolium erunt comburendum, non triticum colligendum, Matth. 3. v. 12. Confer. Dan. 12. v. 2.

4. Cum Manna ros descendebat, Exod. 16. v. 14. Verè descendit Christus nostra Manna, cum rore omnipotentis verbi Dei homines in vitam revocabuntur.

5. Ros æstum mitigat: desiderium animarum, quò reunionem cum corporibus expetunt, vindictam de hostibus, Apoc. 6. v. 10. æstus quidam est, quem mitigabit vox illa Domini, tanquam ros, cum insonuerit: *Surgite mortui!* Ros erit mitigans vox illa eis, qui adhuc vixerint temporibus ultimis, calamitatum malorumque plenissimis. Dan. 12. v. 1. Matth. 24. 29. & ex mundi hâc Ægypto & pressura exire jubebuntur.

RESURRECTIO REVI-
ficatio.

1649. Ose: 6. v. 3. *Vivificabit nos post duos dies: in tertia die suscitabit nos & vivemus in conspectu ejus:* Tertia illa dies resurrectionis nostræ tempus est, quo sicut Christus tertiâ die resurrexit, ita & nos resurgemus. *Vivificabit.* Ergò antea mortui eramus, per biduum scilicet sepulturæ nostræ. Negat hunc locum Calvinus loqui de resurrectione Christi; negant & alii Calvinistæ. Vide magni D. Hunnii p. m. Antipar. prim. fol. 211. seq. & bibliothecam Patrum. Hieron. in Oseam; Theod. Tom. 1. Ambros. super c. 15. 1. Cor. De loco Ezech. 37. v. 1. cap. præced. de morte actum, alleg. Addo saltem pulchrum B. Tertulliani locum: *Necesse est esse sibi prius, quod alii configuretur; de vacuo enim similitudo comperit; de nullo parabola non convenit; de nihilo metaphora & allegoria non est:* contra eos, qui de restitutione populi Judaici solum ex captivitate locum hunc accipiunt, cortici inhaerentes, ad medullam non penetrantes.

CORPORA NOSTRA GRANA
tritici.

1650. Joh. 12. v. 24. 1. Cor. 15. v. 37. *Nisi granum tritici in terram ceciderit, mortuum quæ fuerit, ipsum solum manet, fructum nullum fert.* Pii omnes sunt triticum, & grana tritici per mortem in terram cadentes fructum ferentes, idque propter Christum, qui verè illud granum tritici, quod solum mansisset, non mortuum fuisset, nec per resurrectionem nostræ justitiæ fructus protulisset, Rom. 4. v. ult. (De hoc grano etiam principaliter locus Johann. accipiendus: Apostolus autem ad pios applicat.) Pii verò grana tritici sunt,

1. Ob

1. *Ob finem seminationis.* Non idèd seritur triticum, ut in terra maneat, sed fructum ferat: nec idèd sepeliuntur homines, ut nunquam resurgant, sed ut fructum in resurrectione ferant.

2. *Ob medium participationis, vel fructificationis,* quod est mortificatio. Triticum enim non fert fructum, nisi jactum in terram, licet in se vitam habeat; ita pii, licet in se vitam habeant Christum, Gal. 2. v. 20. Tamen fructum ferre non possunt, incorruptibilitatis scilicet & gloriæ, nisi moriantur prius. Quemadmodum & Christus in se vita ipsa, nobis tamen per mortem profuit. Talis Adam non erat, qui quidem, ut granum mortuus est per peccatum, nos omnes mori fecit. Christus, ut granum mortuus est, nobis in morte vitam restituit.

3. *Ob rationem consimilem fertilitatis.* Tritici fertilitas passim deprædicata est. Videatur Plin. lib. 18. cap. 10. Quoddam tritici genus centigranum; ita pii centigrani, & centum fructus ferre debent, Luc. 8. 8. non discrepare à tritico suo Christo, ex quo seminati, & cujus semen habent. Triticum non agnoscit avenam: in resurrectione centigranum pii triticum erunt, sed quis enumerabit illa in anima, in corpore, beatitudinis grana, quæ secum resurgentes ferunt, non soli erunt?

ELISA TYPUM CHRISTI RESUSCITANTIS GERIT.

1651. *Elisa puerum Sunamitis in vitam revocavit,* 2. Reg. 4. v. 34. Ecclesia est velut Christi hospita, quæ illum fovet, ut Sunamitis illa Elisam; hujus quoque filios omnes, sive probos, sive improbos in die resurrectionis excitabit.

Typus ossium Elisæi vivificorum alibi tactus; Vide in Indice locorum; Hic non repeto.

IN

IN RESUSCITATIONE MORTUORUM

Deus evigilabit.

1652. Jerem. 31. v. 26. *Lassas animas refocillabo, & afflictas animas exsatiabo. Propterea expergefactus sum, & vidi, & somnus meus mihi dulcis fuit.*

1. Ad literam, vox Domini est, solatium Evangelicum promittentis, tempore Novi Testamenti uberior & illustrius, qui tempore Veteris Testamenti ad sollicitam Patrum expectationem dormire videbatur.

2. Allegoricè ad resurrectionem, & completivè applicari potest hoc vaticinium; In resurrectione enim lassas animas plenè & planè refocillabit solatio materno, Esa. 66. vers. 13. *afflictas animas exsatiabit, Apoc. 7. vers. 17. evigilabit Dominus ad ultionem scilicet, qui stertere videbatur, ad mortis, peccati, hostium, Satanæ insultus, quiq; iustos sæpè affligebant, Deo connivente.*

3. Ille somnus *dilationis* fuit, ideoq; dulcis, quâ pœnitentiam mundi malignantis exspectavit, 2. Pet. 3. v. 9. Rom. 2. v. 4.

4. Somnus ille fuit centuplæ *compensationis*, Matt. 19. v. 29. ideoque dulcis.

5. Somnus excellentis *retributionis*. Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. 17. ideoque dulcis Domino, cui nobis bona tribuere, dulce, Ose. 14. v. 5.

6. Somnus dulcis Domino respectu *seriæ expectationis*, Rom. 8. 23. Phil. 5. v. 20. c. 1. v. 23. *exclamationis* piorum, in hoc mundi mari. *O Domine serva nos, perimus*, Matth. 8. vers. 25. Interim se dormire simulat Dominus, cum tamen semper vigilet, Psal. 121. v. 4. In resurrectione verò evigilare dicitur, cum vigilare apparebit. *Scriptura dicunt ferire, cum patefunt*: Maxima Theologorum. Somnus ille dilati iudicii dulcis erit

erit Domino, respectu deletionis hostium plenariæ consequentis, 1. Cor. 15. v. 26. seq.

Nos quoque *expergiscemur*, è somno mortis resuscitati, voce Christi, Johan. 5. & II. v. II. *videbimus Dominum* scilicet, Joh. 19, 26. Somnus noster dulcis nobis erit, ob consequentem animæ reunionem, multum desideratam, dulcis erit ob consequentem corporis dotationem & glorificationem, 1. Cor. 15. v. 43. ob corporis refocillationem, quæ per somnum causatur: dulcis ille erit somnus mortis, *semel pro semper*, ob reiteratæ quietis negationem: Ut enim Christus semel mortis somnum dormiit; nunquam verò amplius, Rom. 6. v. 9. ita & nos. Dies enim resurrectionis est dies omnium restitutionis, Act. 3, 21. Ablata omnia restituentur, vita pro morte, incorruptibilitas pro corruptione, imago Dei amissa, cælum, & quid non? Christus cœlestis Elisa matribus restituet liberos, ut 2. Reg. 4, 38. alleg. *Accipite filios vestros*; erit vox Salvatoris nostri.

RESURRECTIO INDUBITATA.

1653. Gen. 4. v. 10. *Vox sanguinis Abel clamat de terra*. Non anima dicitur clamare, sed sanguis, pars corporis; ut non solum credatur immortalitas, sed & resurrectionis corporis veritas, quam vox sanguinis innuit, quemque Deus de manu cunctarum bestiarum requirit, Gen. 9. v. 5. Sanguis autem non est sine carne; nec clamor sine corpore: Ergò corporis vel carnis indubitata resurrectio est. Conf. Tertul. de resurr. carnis c. 28.

RESURRECTIO EST NOVUS
quidam partus.

1654. Job. 17. v. 14. *Fovea dicam, pater meus est*
tu;

tu; & vermi dicam; mater mea es. Sepulchrum fovea nostra est, pater scilicet, regnans nos per corruptionis circulum ad incorruptibilitatem, 1. Cor. 15. v. 43. Mater vermiculi, exedentes illam peccati radicem, quæ in sepulchro per cinesactionem deponenda, exuenda, 1. Cor. 15. v. 53.

RESURRECTIO TERRÆ fructus.

1655. Gen. 1. v. 11. *Terra produxit gramina & herbas, arbores fructiferas, semen in se habentes, tertiâ die, ad vocem Domini.* Tertia illa dies:

1. Dies resurrectionis est, quâ nos vivificabit Dominus, Ose. 6. v. 2.

2. Vox illa Christi est, Joh. 11. v. 11. cap. 5. vers. 18. cap. 6. v. 44.

3. Terra enim ad hujus vocem producet omnis generis herbas, etiam lolia, impios, uno verbo, triticum cum paleis. Herbarum virentes pii sunt, qui in domo Dei viruerunt, Psal. 92. v. 13. 14. per rorem omnipotentiae Dei virebunt, Esa. 26. v. 19. Pii sunt arbores fructiferae, repleti fructibus justitiae, Phil. 1. v. 11. patientiae, Luc. 8. v. 15. poenitentiae, Matth. 3. v. 8. semen in se habentes fidei scilicet, ex qua vivunt in Christo, Galat. 2. v. 21. ideoque nec mortem videbunt, Joh. 11. v. 26. in eo, qui mortem destruxit, 1. Cor. 15. vers. 56. 2. Tim. 5. v. 10.

RESURRECTIONIS TYPUS in circumcissione.

1656. Genes. 17. v. 12. *Octavo die carnis præputium resecandum jussit Jehovah: Septem dies vitae nostrae tempus significant: Octavus dies imaginem resurrectionis gerit, quâ Christo occurremus, Phil. 3. v. 11. Illo die præputium corruptibilitatis abjicitur,*
1. Cor.

DE RESURRECTIONE. 767

1. Cor. 15. v. 43. præputium illud vanitatis, Rom. 8, 20. præputium iniquitatis, 1. Cor. 15. v. 26. & 56.

IN ARCÆ NOACHI NATATIONE.

1657. *In qua præsentem omnia mortem intentabant; Eduktus tandem Noachus, totius orbis Dominus factus, vineas plantavit, Genes. 9. Arca, cui includimur, sepulchrum & lectus est, mille illum circumsonant mortis fluetus, peccati fructus: servabimur tamen in eo, educemur in resurrectione, cœli vineâ gaudebimus, florente vite nostrâ Christo, Joh. 15. v. 1. singulis mensibus solatii perpetui fructus ferente, Apoc. 22. vers. 2. Spirituali voluptatis flumine inebriabimur, Psal. 36. vers. 9.*

IN ISAACI NATIVITATE.

1658. *Ex effectis parentibus, Gen. 18. v. 13. Rom. 4. v. 19. Parentes nostri, quibus committimur, effecti maximè. Fovea pater; Vermis mater, Job. 17. v. 14. Emortui parentes; quid enim ad vitam conferat res mortua terra? Et tamen ex his progignimur denuò ex sepulchris, non ut carnales filii; carnem enim sanguinemque deponimus. 1. Cor. 15. v. 59. sed spirituales spiritualibus dotibus ornati, quâ corpus, 1. Cor. 15. v. 44. quâ animam, Ephes. 4. v. 13. 1. Corinth. 13. v. 12. Progignimur veri Isaaci, hoc est, ridentes, ob liberationem nostri ex spirituali mundi captivitate; & Babylonis vanitate, Psal. 126. v. 2.*

EJUSDEM IMMOLATIONE.

1659. *Ad tertium usq. diem in corde Abrahami Isaacus mortuus eras. Vide ἡγωνολογίαν καὶ παθολογίαν Gen. 22. Hebr. 11. vers. 19. Ne dubitemus Abrahamo mortuûm, qui dicitur obtulisse filium d. I. Hebr. Im-
po-*

ponimur & nos rogis sepulchrorum nostrorū: Mors aculeum stringit in colla, sed retundit, inhihet Christus, mortis frangens aculeum; nos è sepulchro solutos, vivos sibi listit, Ose. 6. v. 2. qui mortis dolores sibi suisque solvit, Act. 2. v. 24.

IN FISCELLA SCIRPEA MOSIS.

1660. Exod. 2. v. 3. *Affervatus Moses, bitumine & pice illitā, tandem vivus protractus; à Pharaonis filiā nutritus est; sepulchra nostra sunt fiscella illa scirpea, fragilia, bitumine & succo arboris vitæ Christi illita, non hauriunt aquas illas corruptionis, Act. 2. v. 27. Committuntur aquis; verum vivi extrahemur ex illā: enutriemur in aulā cœlestis regis & principis nostri Jesu Christi.*

IN VIRGA MOSIS.

1661. Exod. 4. v. 2. seqq. *Virga Mosis lignea & sicca erat; ad præceptum Domini in terram abjecta, inque colubrū versa, qui colubros Ægyptiacos devoravit. Corpora nostra virgæ arentes sunt lignæ; sed revirescent rore illo virenti, Esa. 26. v. 19. In terram abjiciuntur, cum sepeliuntur, ad Domini jussum, Genes. 3. v. 19. Pulvis es, & in pulverem reverteris, ejusdemque exemplum, Deuter. 34. v. 6. in Mose monstratum: Verum in colubros convertuntur, die nimirum resurrectionis. Corpora nostra erunt colubri mortalitatem absorbentes, 1. Cor. 15. v. 54. colubri infernalis effectum. Sapient. 2. vers. 24. *Mors absorbebitur in victoriam.**

IN CADAVERE LEONIS.

1662. Jud. 14. v. 8. *In cadavere leonis à Simsone occisi, apes nata sunt: Mors est leo quidam immanis & truculentissimus; vicit hunc leo de tribu Juda Christus*

stus. Vide *Christus leo*, Apoc. 5. v. 5. leonem mortis occidit, omnia ossa confringentem. Cadaver ejus nobis relictum, quod est mortis ille stimulus, quo enecamur: ex eo tamen dulcissimæ apes nascuntur, quando mortis amarities in dulcedinem, vitæ æternæ resurrectionem, convertitur.

IN RESURRECTIONE BONORUM Jobi.

1663. Job. 42. v. 10. *Reddidit Dominus Jobo omnia duplicata*, filii & filia non duplicata erant in hac vita, v. 13. quia adhuc servabantur in altera, per spem indubitatam, resurrectionis typo. Conf. Gregor. lib. 35. Moral. cap. 11.

RESURRECTIONIS TYPUS

Jonas.

1664. *Jonas in ventre ceti, quæ beluâ, irâ Dei pressus, tandem in litus projectus est, post tres dies, tripliciter velut morte mortuus, irâ Dei, beluâ, aqua*, Jon. 1. v. ult. Viva mortis imago, cujus hypotyposis verè prophetica extat apud D. Lutherum, Tom. 5. German. Witemb. fol. 322. Mors est venter ille ceti. Belua Diabolus est: Aqua ira Dei, cujus fluctus nonnunquam & ipsi pii sentiunt ventô tentationum concitatos: Attamen exspuet nos cetus ille mortis, Apoc. 20. v. 13. 14. in litus æternæ patriæ, æternas Dei laudes decanturos cum Jona, ex cap. 2. v. 10.

RESURRECTIO DISPAR.

1665. Gen. 40. v. 20. seq. *Princeps pincernarum pristino honori & dignitati restitutus est: pistorum autem in crucem actus, uterque quidem è carcere educus, dispari tamen sorte: Ita omnes è sepulchri carcere educet Dominus in resurrectionis die; quidam horum ad vitæ honorem evehentur: ad æternæ con-*

Ccc tume-

tumeliæ ignominiam detrahentur quidam, Dan. 12, 2. Pharao fecit hoc die tertio, quo natalem suum celebravit: Dies resurrectionis est tertius dies, quò non suum, sed suorum fidelium natalem verum celebraturus est Dominus, natalem ad æternam lætitiã, ad incorruptibilitatem perpetuam, 1. Cor. 15. v. 44. non ad tristitiã, qualis est natalis noster hujus vitæ; Eccl. 7. v. 2. Job. 14. v. 1. *O Domine Jesu, iram tuam promeriti; Noxam tamen remitte, & caput nostrum exalta à portis illis mortis, Psal. 9. v. 15. ut tibi gratias æternas persolvamus!*



CAPUT XXIV.

DE

JUDICIO EXTREMO.

ARTICULUS I.

DE SIGNIS ANTECEDENTIBUS
ULTIMUM JUDICIUM.

ULTIMA TEMPORA.

1666. Apoc. 10. v. 4. *Audita sunt tonitrua, visa fulgura, reges ipsi terra in cavernis terra delitescere expetiverunt, Apoc. 6. v. 16. ante diem iræ Domini, & antequam templum Dei aperiatur, ita signorum tonitrua audientur, fulgura notarum videbuntur, antequam in judicio templum cœli aperiatur.*

SIGNA